



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Assassinus nomen quid significet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

sicut quum quis astringat se doctū, non curat discere.

Assassinus nomen quid significet.

Assassinus nomen est æquiuocum, est enim nomen proprium quorundam infidelium, qui facile inducebantur ad occidendos Christianos. Et contra non ipsos, utpote infideles, sed contra mandantes per ipsos aliquem Christianum occidi, Innocent. iiii. in Concil. Lugd. excommunicationem promulgauit: ut habes in vi. de homicidio. Pro humani. Est etiā nomen vitii, pro quāto apud quosdam iuristas, seu vulgariter dicuntur assassini, qui pro pecunia occidūt hominem, ad alicuius instantiam. Et hi nō comprehenduntur sub censura dicta, quamuis digni sint morte & temporali & æterna: quia conditor canonis de primis tantum loquitur, ut facile deduci potest, & ex eo quod sine additione aliqua illos nominat (utpote tūc temporis notos) & meminit eorum domini, & ex eo quod meminit opprobrii Christianæ dignitatis, & nullius pretii seu mercedis.

Observatio astrorū an et quādo sit vitiosa.

Astrorum observatio ad natiuitates hominum & occurrentia humana, tripliciter peccato subiici potest. Primò, si ea quæ fidei Christianæ mysteria sunt, tanquam subsint cœlestibus causis habeantur. Secundò, si futura contingentia quærantur, seu habeantur ut certa ex cœlestibus causis. Tertiò, si electiones suas quis subiciat cœlestibus causis, ut legi illarum, ita quod vitam suam, actionesq; suas regulet secundū cœlos. Et quodlibet horū triū est ex suo genere peccatū mortale: quia primum est cōtra spiritualitē Christianæ religioni, quæ super cœlos est, immutare potens etiā ipsos cœlorū cursus, iuxta id quod scriptum est, Confessio eius super cœlum & terra, & experientia testata est. Secundum verò est contra

veritatem